

pulcra. & ibi statuit campum suum causa preliandi cum nogay. quoniam sciebat ipsum esse venturum ad belum. filij quidem regis tholubuga illuc cum pulcra societate uenerant/ qui uenerant ultum mortem patris. Nunc autem de toctay & suis gentibus dimitemus. & ad nogay & suos homines rediemus cum autem nogay sciuisset quod toctay uenerat nullam moram fecit. set cum omnibus suis gentibus iter arripuit. nam habebat bene circa centum quinquaginta milia equitum ualentum & proborum multo meliorum pro armis quam essent homines toctay Et non permansit duobus diebus quod postquam toctay in illam planiciem uenerat/ quod illuc cum omnibus gentibus uenit. & bene & ordinate statuit suum campum prope inimicos per miliaria decem. Et cum campum tetendissent/ tunc uideri ^{130v°} potuissent| ibi multi pulcri pampiliones de drappis aureis & de syrico et campus Toctay non minus pulcer erat & diues/ set erat magis. Nam ibi erant tam diuites pampiliones & tende quod erat mirabile ad uidendum. Et cum ambo reges in hanc planiciem peruenissent requieuerunt in die belli../

Qualiter Toctay loquitur suis gentibus :—

Rex quidem Toctay suas gentes congregauit & magnum fecit colloquium inter suas gentes/ quas fuit taliter adlocutus. o fratres & sotij nos huc usque uenimus belatum cum rege Nogay & suis hominibus de quo magnam rationem habemus. & accidit istud negotium quia nogay noluit uenire factum rationem filijs tholubuga. Et posquam a ratione discedit necesse est quod belum obtineamus & quod ipse sit mortuus & destructus. & ideo quilibet uestrum debet ortari & spem bonam habere prelium obtinendi. Set tamen uos omnes deprecor quantum possum/ quatenus omnes sitis ualentes & probi. & ultra posse conemini ita quod inimicos nostros morti tradamus. & ita sermoni suo finem imposuit. Et ab alia parte rex Nogay taliter colloquium suum fecit. fratres & Amici humanissimi uos scitis quod multa & magna prelia iam obtinuimus. & cum multis melioribus gentibus quam iste sint/ facere habuimus de quibus ad finem deuenimus peroptatum. Et posquam ueritas ita est prout scitis. ortari debetis in ^{131r°} istud| prelium obtinendo. & etiam rationem habemus & ipsi obliquum quia uos scitis quod ipse dominus meus non est. & mitebat quod ad curiam suam/ & coram ipso accederem facturus alijs rationem. nunc autem uobis plura nollo reffere. nisi solum quod uos omnes rogo quatenus in bene agendo apponatis cor uestrum. & quod nos in isto prelio taliter habeamus quod totus mundus de nobis loquatur. & quod nos & nostri heredes de cetero timeamur. & taliter rex Nogay suum colloquium difiniuit. Et cum isti duo reges suum colloquium finiuisent/ nullam moram fecerunt set mane tempestiue suas acies statuerunt. Rex quidem Toctay uiginti acies ordinauit. in singulis quarum bonum apposuit conductorem. Et rex Nogay quindecim acies ordinauit. in singulis quarum erant decem millia